operae tuae; Mansuetus dominus, longanimis dominus, misericors dominus.
sed et iustus dominus. et verax dominus, largitur tibi spatium correctionis.
sed tu plus amas dilationem quam emendationem; malus fuisti
heri. Hodie bonus esto, et hodiernum diem in malitia egisti, vel
cras mutare; semper expectas et de misericordia dei tibi plurimum
polliceris. quasi ille qui tibi per paenitentiam promisit indulgentiam. pro
misit tibi etiam prolixiorem vitam; unde scis quid pariat cras
tinus dies. recte dicis in corde tuo. quando me correxero omnia mihi
omnia peccata dimittet, negare non possumus quod correctis adque
conversis indulgentiam deus promisit; nam in quo propheta mihi le
gis quia promisit correcto indulgentiam. non mihi legis quia promisit
tibi deus longam vitam, ex utroque igitur homines periclitantur.
et sperando et desperando. contrariis rebus; contrariis adfectionibus;
Sperando decipitur. Qui dicit. Bonus est deus. misericors deus. faciam
quod mihi placet. quod libet laxem habenas cupiditatibus meis.
impleam desideria animae meae; Quare hoc quia misericors est deus.
bonus est deus mansuetus deus; Spe periclitantur, desperatione autem
qui cum que in gravia peccata inciderint putantes sibi non posse
iam ignosci paenitentibus. et statuentes se ad damnationem sine du
bio destinatos. dicunt apud se ipsos; iam damnandi sumus; quare
non quod volumus facimus. animo gladiatorum ferro destinatorum.
ideo molesti sunt desperati. iam enim quod timeant non habent.
et vehementer timendi sunt, istos desperatio necat; Spes illos; In
ter spem et desperationem fluctuat animus; Metuendum est ne
te occidat spes. et cum multum speras de misericordia incidas in
iudicium, metuendum est rursus ne te occidat desperatio. et cum
putas iam tibi non ignosci quae gravia commisisti. non agas paeni
tentiam. et incurras iudicem sapientiam. quae dicit, et ego vestrae perditio
ni superridebo, quid ergo egit dominus cum periclitantibus utroque morbo. illis
qui spe periclitantur. hoc dicit, ne tardes converti ad dominum. neque
differas de die in diem; Subito enim veniet ira eius et in tempore vin
dictae disperdet te, illis qui desperatione periclitantur. quid dicit.
In quacumque die iniquus conversus fuerit, omnes iniquitates eius
obliviscar, Propter illos ergo qui desperatione periclitantur pro
posuit indulgentiae portum propter illos qui spe periclitantur. et dilationi
bus inluduntur. fecit diem mortis incertum, quando veniat ultimus

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0076